

ritu ad templum, sumendo Christum in ulnas sua, ac desiderando mori. Cur enim dicitur responsum mortis accepisse, nisi quia prius saepe quiescivit cum Job: *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* Et cum Davide: *Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Itaque si corpore non possunt, spiritu saltem veniant crebro ad templum, et cum Daniele quasi captivi, aperta versus templum fenestra, domi orient, legant pios libros, dent eleemosynas, etc. Gentilis ille philosophus Diogenes etiam in senio non deseruit austera et philosophicam suam vitam; quare monitus ut jam senex philosophari desineret, respondit: *Victorize tempore a bello non desistendum, ne quis victori coronam auferat.* Laert. I. III. conformiter cum illo, quod scribit S. Joannes episcopo cuidam, Apoc. III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Certe Salomon, quia in senio demum se neglexit, depravatum est cor eius per mulieres: *Cum jam esset senex.* Quando dux exercitus vidit eminus hostem se ad prælium accingere et contra se venire tunc et ipse instruit aciem, et armatus illi obviat: *Cum surrexisset Philistæus et veniret et appropinquaret contra David, festinavit et cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi,* I. Reg. XVII. sicque prævenit et prostravit eum. Vident senes mortem falce armatam contra se jam appropinquare; festinanter ergo occurrant illi ac præveniant pugnantem. Deinde, per eleemosynas et alia bona opera parent se ad mortem. Docuit hoc pius quidam episcopus matrem suam seniculam, avaram et mundo adhuc deditam, cum prius saepe frustra eam admonuisset, invitavit eam ad cenam, et ipsem eam adduxit, sed nullo accenso lumine, cum jam ingruerent tenebrae. Illa igitur a filio petit, ut curet præferri lumina. At filius paulo post se curaturum ait, ubi ventum fuerit ad fossam, arco ponticulo transeundam. At illa: *Quinimo jam statim cura lumina; quid enim si incidem in fossam antequam feratur lumen?* Et qui transibeam sine lumine? Tum episcopus: *Ita, mater mea, bene dicis; sed velim ut tu etiam tibi sic consuleres, et morti tuae per eleemosynas aliaque pia opera prospiceres, antequam ad fossam mortis, non sine maximo periculo transeundam, pervenias. Quid enim nosti, quam longe ab ea distes? Et quid si nunc incidas? Refert Lipellus, dict. et fact. memor.*

Hanc ob causam morienti cereus in manu datur, non tantum pro moriente, sed etiam pro viventibus, ut meminerint Christo occurrere cum lucerna gratiae. Porro sicut lucerna, quæ præfertur, plus illuminat, quam quæ a tergo sequitur;

ita eleemosyna data ante mortem melior est ea, quæ post mortem legatur. Denique, accipiant saepe Christum in ulnas per s. communionem, velut baculum senectutis sua, et lucernam perfectionis ad alteram vitam; cupiantque *dissolvi et esse cum Christo.* Qui enim longum iter brevi sibi aggrediendum novit, de viatico, eoque largo et securo, quod portare, et quidem absque periculo amissionis, possit, sibi providet. Quod autem melius et securius viaticum Christo ipso, via duce et gloriæ Domino? Avarus quidam senex Constantie ad lacum Acroniacum, ut scribit magister Joan. Videt in formicario suo, peculum suum antiquæ et valde bonæ monetæ, nolens alii relinquere, in pulsat avenaceam, panis loco injecit, et cum pulte devoravit; sed his bolis suffocatus est. Utinam non multis plus de nummis suis, quam de viatico animæ solliciti essent! Volumen ergo peculum nobiscum ferre ad alteram vitam? Christum in eucharistia comedamus. Certe Ludovicus pius imp. ultimis quadraginta diebus vita sua, nihil omnino sumpsit præter s. eucharistiam (teste Aimoine, I. V. hist. Francorum, c. IX.) et sic piissime obiit.

Hi sunt cerei, auditores, hodie incendi, quorum recordationem ingerunt vobis illi materiales, quomodo lignea Christi imago deducit nos ad Christum; alioquin vana et utilis. Attendat quisque ad cereum suum, non ad cereos aliorum. Solet enim contingere, ut dum quis aliorum lumina curiosius intuetur, suo interim lumine seipsum adurat. Idem accidit iis, qui, se neglectis, aliorum nèvos aspiciunt. Prudentes illæ virgines non ad faturarum, sed ad suas attenderunt lampades. Sic intrarunt cum sponso ad nuptias. Quod et vobis precor.

CONCIO III.

MUTUA CONJUGUM OFFICIA A COLUMBIIS PRES-
CRIBTA.

I. Conjuges studeant puritati conscientiae. — II. Non inviti permittant Deo filios suos. — III. Mutuo se amore prosequantur. — IV. Mutua ferant onera. — V. Careant zelotypia. — VI. Fidem sibi mutuo seruent. — VII. Mutuos defectus ferant.

THEMA.

Dictum est in lege Domini: Duos pullos columbarum. Luc. II.

Quid est, auditores, quod in v. t. Deus una cum oblatione primogeniti petierit etiam turture aut columbas, et quidem par turture vel duos

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

pullos columbarum? Cur non unum saltem turture aut columbae pullum prouno primogenito, sed duos? Ego sane existimo, non tam propter ejus parentes petuisse hoc munus Deum. Jam vero scimus ea munera non esse grata Deo, quæ non veniunt a personis gratis. Hinc enim jubet Christus, illum, qui habet aliquid adversus fratrem suum, relinquere munus suum ad altare, et prius reconciliari fratri suo, Matth. V. Illud igitur munus tuum demum Deo gratum erit, si a gratis offeratur. Quare ut insinuaret parentibus, quales ipsi esse debeant, quando offerunt suum primogenitum, par turture addi voluit, aut duos pullos columbarum, ut nimurum ipsi similes sint pari turture aut certe columbarum. Non est igitur, quod in longinquum abeant conjuges promagistro seu doctore; habent domi passim columbas, quas ideo forte Deus affixit ædibus, ut ab eis conjugati discant, qui se gerere debeant. Turture alibi explicuimus, nunc columbas speculabimur; pulchrum valde piorum conjugum speculum.

I. Hostes immunditiae sunt; nam et nidum suum purgant, et crebro pennas suas rostro componunt: gaudent pluviis, quibus se ablunt, ac deinde pulvere conspergunt, teste Arist. I. IX. hist. XLIX. Pari modo etiam conjuges christiani tonentur suas conscientias statim temporibus expurgare per poenitentiam, et componere per orationes quotidianas vitam suam. Gaudent quando pluvia, hoc est, solemne aliquod festum venit, in quo Deus gratias suas largius effundere et plurimos rigare solet, ut in iis saltem se per poenitentiam abluant, et non jam in lecti mollitie, sed in pulvere poenitentie sese volunt. Certe B. Virgo purificationis legi se subjecit, cum nihil expurgandum haberet: quanto magis conjuges certis se temporibus purificare deberent, qui facillime labes contrahunt? At quoties conjugati se expiare debent? Dico, quoties pluvia gratiarum magna contingit, in festivitatibus scilicet majoribus. Deinde, interrogent elephantes. De his enim scribit Pier. I. II. alii, quod singulis novis lunis descendant ad amnum, in eoque se purificant. Bestiae ergo observant tempora ad se abluendum: cur non potius nomines? Ad elephantes nos mittit Job, c. XLIX. dicens: *Interroga jumenta (Hebr. interroga behemoth), hoc est, elephantes, ut vertunt Vatablus, S. Basilius et Tugurina) et docebunt te, etc.*

Quod si comptu etiam corporis imitari columbas velint, id faciant more columbarum. Primo, non ad superbiam et luxum, sed ad honestatem. Neque enim columbae alienis plumis se ornant, sed suas tantum componunt; nec se aliis, sed

V. PARS FESTIVALIS.

suis conjugibus adornant. Audiant S. Chrysostom. X. in ep. ad. Coloss. sic mulieri loquenter: « Quid ornaris? Dic quæso. Ut viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium fit: scilicet domi summa incuria; si foras itur, annus est, dum comuntur. Si autem proprio vis viro placere, alius ne cura ut placeas: si vero alius placere vis, non potes placere tuo? » In somnio Josephi de sole, luna et stellis ipsum adarrantibus, pater ejus per solem, mater per lunam ei representanti sunt. Jam vero luna ex ea tantum parte splendet, qua solem aspicit: ex altera parte, qua ad alia se convertit, obscura est. Sic uxor splendeat in conspectu mariti sui, cui soli placere debet: obscura contra sit ad conspectum aliorum virorum.

II. Tametsi ambo conjuges valde ament pullos suos et pari labore educent, non ægre tamen ferunt eos a domino suo abripi, quod aliae aves, imo bestiae omnes non sine renitentia et molestia sustinent, ideoque domicilium alibi querunt; non item columbae, quia nimurum domino suo debent habitationem, pabulum, denique seipsas. Ergo et conjuges christiani, si forte Deus omnium Dominus eorum filios sive per mortem sive per religionis ingressum ad se trahat, non indigne id ferant. Cogitent id Sap. IV. *Raptus est, ne multitia mutaret intellectum ejus.* Magnum certe jus habuit Beata Virgo in Filium suum, quia sola ejus parens fuit: ad haec millies magis eum dilexit, quam ceteri parentes diligere soleant suos; et tamen petenti eum ex lege Deo, libenter obtulit, non ad templum modo, uti nunc, sed postremo etiam ad crucem. Cogitent Deum longe plus juris habere in liberos suos, quam se: deinde, posse Deum pro una prole reddere illis aliam ac plures, quemadmodum Annæ, pro Samuele ad Dei obsequium devoto, reddidit quinque proles, tres filios et duas filias, I. Reg. II. et S. Jobo pro septem filiis et tribus filiabus morte abreptis, dedit alios totidem filios et filias, speciosiores prioribus, Job, ult. c. Cogitent denique, se debere Deo seipso, victim, vestitum, habitationem, opes, vitam et omnia sua. Quid mirum si interdum Deus exigat primitias aut decimas?

III. Columba mas et femina mutuo et amore prosequuntur, et mutua sibi infungunt oscula, teste Plin. I. X. c. LVIII. ad haec, pacatissime inter se vivunt, simul fere graduntur, sibique mutuo assident. Ut stabile ei suave sit conjugium, necessarius hic est amor mutuus, quem inserere illis voluit Deus dum Ewan ex Adamo costa efformare, eisdemque idem nomen Adam, seu hominis, dare voluit! *Vocabit nomen eorum Adam,* Gen. XXV. Vir

Hebr. *isch*, mulier vocatur *ischa*; utsciantse esse quasi unum hominem, adeoque unam voluntatem habere debere. Hanc quamdui habuerint, tamdui vitam jucundam ducent, et proficiunt etiam opibus. Regnum enim pacatum ditari solet: quamdui ergo caput cum corpore, vir cum uxore bene convenerint, quid eos turbare poterit, quominus pacatum habeant conjugium? Ita discurrit S. Chrysost. hom. V. in ep. Pauli ad Tit. II. Quia autem duo reges in eodem regno quiete vivere non possunt, debet mulier viro subordinata et subjecta esse, velut prorex; ideo non ex capite, sed ex latere Adæ formata est Eva.

Deinde, ad hanc pacem acquirendam juvat, si quis nubat pari, quemadmodum et columbae conjugate gaudent pari colore. Ita S. Ambros. I. I. de Abraham, c. II. ait: « Qui suavitatem querit conjugii, non superiorem censu ambiat, non monilibus ornatam, sed moribus. » Accedit Arist. VIII. ethic. c. X. *Dominantur*, inquit, *uxores propter amplitudinem patrimonii*. Dominari debet maritus, quia caput est uxoris, teste apostolo: quod si ergo velit dominari etiam uxor, jam duo reges in eodem regno, duo soles in mundo erunt; pax igitur exulabit. Quod si tamen contingat impares conjungi, tunc is qui inferior est nobilitate vel opibus, studeat labore, virtute et prudentia sua compensare defectum suum.

IV. Mutua onera ferunt; nam alternis vicibus ovis incubant, et fovent pullos; interdiu mas, noctu femina. Ac si vagetur errabunda femella, compellitur a masculo ad nidum, teste Plin. loco citato, Aristotele et *Aelian*. Ergo et christiani conjuges mutua ferant onera foris: mulier quasi luna, et operetur in domo, quasi noctu. Vir pueros instruat litteris, equestri disciplina, cura familiæ, negotiis agri seu fori, tractandis artibus aut opificiis: mulier doceat filias nere, fila ducere, culinam curare, domum expurgare, etc. Ac si quidem uxor ad hoc segnis sit, vir compellat eam ad officium. Non enim frustra uxor, Prov. V. appellatur *serva carissima*; quia uti cervi transantes maria per vices alter alterius dorso impunent gravia cornibus capita, ut per vices respirent: sic agendum in matrimonio. Hinc *conjuges* appellantur, quod jugum simul trahant.

V. Columbae felle carere feruntur passim a scriptoribus, vel si id habent, absconditum habent; cum incertum sit, quo loco id contineant. Quid fel, nisi zelotypia? Ut enim fel omnia, quantumvis dulcia, reddit amara; ita zelotypia quodvis conjugium, licet alioquin felicissimum. Nam: « Qui zelotypia laborant, inquit D. Chrysost. ho. XXXVIII. in c. XVII. Gen. bonum pacis amittunt; etiamsi magnis affluant divitiis, etiamsi sump-

tuosas habeant mensas, etiamsi clari fuerint et nobiles, miserrimi omnium sunt. » Hinc olim ethnici in sacrificiis Junonis, quam nuptiarum præsidem credebant, victimam sine felle immolabant, teste Euseb. I. III. de præparat. evang. c. I. Nec frustra Deus, Num. V. præcepit ut vir zelotypus pro uxore oblationem facturus, non triticem, sed hordeaceam offerret farinam; nec funderet super eam oleum, neque thus: indicabat enim zelotypiam homines quasi dementes et bruta, quorum pabulum est hordeum, facere (bruta enim fere, ut camelii, maxime laborant zelotypia) omnique suavitatem et bona odore privare. Quare ad hanc e medio tollendam permisit Deus in v. t. probationem per aquas maledictas: ne miseri conjuges in hac cruce perpetuo penderent. Id quod etiam per miraculum quandoque ostendere voluit, ut scribit B. Pet. Dam. cardin. in ep. ad Godefrid. ducem et marchionem Tuscæ, l. VII. epistol. de Huberto marchione: « Qui Guillam, majoris Bonifacii marchionis filiam, conjugali sibi fœdere copulavit. Hinc non multo post indignationem primi Othonis imp. incurrit, ac subinde, reicta conjugi, Pannoniam profugus exulavit. Qui cum longo post tempore resumptus in gratiam rediit, matrem cum grandiscula jam prole reperiens, admiratus expavit. Negat homo se genuisse quem conspicit: et zelotypæ permotus invidia, fœtæ mulieri obscenum crimini intendit: nequaquam se tam insperatae rei perhibet conscientium, diffitetur se conceptionis hujus nosse mysterium, nec posse fieri, ut se asserat patrem, qui prægnantem non reliquit uxorem. Ad hoc tandem res diutius ventilata protrahitur, ut non aliter, quam per actæ purificationis indicium, tam gravis objectio sopiaatur. Hoc igitur ex utraque parte convenit, ut in vasta quadam amplissimæ domus area conventus religiosarum fieret personarum. Quibus nimurum in subselliis suis undique consentibus, puer solus in medio ponetur: et si patrem, quem nunquam ante viderat, adiens peteret, ab omni procul dubio matrem suspicione purgaret. Quid plura? Conveniunt pontifices, adsunt eum monachis et abbatis, inferioris etiam ordinis sacerdotes: fletur, gemitur, suspiratur, ad cœlum oculos erigunt, pugnis pectora mœsta contundunt, profluentibus lacrymis tristia ora perfundunt. Dimissus itaque puer in medio sine papate, vel gerula, cœpit ire: et cum pater sederet inter vulgus, nec ab aliis videretur ulla subselli varietate distinctus; tempitis omnibus, puer ad eum signanter accessit, eique tamquam notissima familiaritate blanditus adhæsit. Sic itaque liberavit matrem, dum divino provocatus instinctu, petiit genitorem. Hoc

igitur modo matr confusio tollitur, patri filius redditur, et utriusque parentis affectus erga se invicem in communis sobole reformatur. Omnes ergo, qui aderant tanto stupefacti miraculo, votiva mentis conjubilatione, et dignas auctori Deo gratias referentes, exultant. » Joanna, Philippi Hispan. regis conjux, audiens quod maritus semel oculum conjectisset in capillos ejusdam puellæ de gynecæ, filavedine gratiosos, correpta zelotypia, clamoribus et querelis totam regiam implevit, faciem puellæ vibicibus fecavit, correptaque forfice, capillos abscedit, viro denique suo a tergo semper adesse voluit, ut refert Gomez, de rebus gestis fr. Ximenii, l. III. Hinc fortasse Christus in Cana Galilææ nuptiis interesse, et vinum providere voluit quia *Cana zelum* significat; ut ita vino amoris mutuizelotypiam extingueret ac sanaret.

VI. Columbae, mas et femina conjugali inter se fœdere sociantur: *Pudicitia illis prima et neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant*, inquit Plin. I. X. c. XXXIV. De palumbibus, etiam scribit *Aelian*. I. III. de animal. XLIV. « Ex avibus castissimi ab omni stupro palumbes: ut enim mas et femina tamquam nuptiis alligati sunt, adeo ad stabile et certum connubium adhærescent per summam castimoniam, ut neuter alienum cubile attingat. Si qui ad alienam oculos adjicerint, eos reliqui circumcedentes marem quidem mares discerpunt, feminam vero feminæ. » Quid hic natura sibi voluit, nisi ut instruerentur conjuges fidem servare invicem; quo nimis ipsorum proles educentur et instruantur ab iisdem? Subtracta enim illa fide, subtrahetur prolibus debitum nutrimentum et disciplina. Hinc alias etiam aves, quæ communiter pullos nutrunt, ante completam nutritionem non separantur a mutua societate, ut habetur in complem. S. Thomæ, q. LXV. ar. III. Quamquam avium aliorumque brutorum fœtus non requirunt nisi educationem, quæ in illis cito perficitur (unde nec mirum, sive post educatam prolem separantur): hominum autem proles non solum requirunt educationem, quæ tarde perficitur; sed insuper disciplinam et instructionem, quæ adhuc plus temporis requirit; adeo ut parentes, donec omnes proles suas ad perfectionem adducant, jam consensere incipiunt, sive stabilem conjunctiōnem requirant. Quibus accedit fides mutuo data, quæ sancte præcipit, ne frangatur. Accedit denique sacramentum inter parentes Christianos, quæ requirit unius cum una indissolubilem conjunctionem, qualis est Christi cum Ecclesia. Unde sponsus ait: *Una est columba mea*. Quare qui hanc fidem mutuo datam violant, peccant in

Christi mandatum, siveque nexum triplici nodo firmatum rumpunt, quod gravissimum est. Sane vel ipsi ethnici fidem hanc violatam duris suppliciis ulti sunt. In Peruana provincia non solum adulteros, sed etiam illorum parentes, liberos et fratres comburebant, necnon et pecora: terram quoque, ubi flagitium commissum, dispergebant et sale aspergebant, ut steriles permaneret: arbores quoque et domos vicinas sternebant et solo æquabant, ut scribit Aug. de Zarate, in hist. Peruana. Sufficiat fidelibus exprobratio Davidi facta a Deo et injunctæ pœnæ. Quot enim et quantis lacrymis deflere id peccatum debuit? Quot pœnas sustinere? Filius ejus ex adulterio natus, morte plexus est: Amnon alter filius sororem violavit, ideoque ab Absalone fratre occisus est: Absalon rebellavit patri et occisus est a Joab: Adonias, alius filius, occisus est a Salomon. En quam grassatus est Dei gladius in dominum Davidis, propter unum ejus adulterium. Aliud terrible exemplum de punita adulta refert Fortunatus, in vita S. Marcelli episcopi Parisiensis. In ejus enim sepulcrum serpens unus immensis solitus est e silva adrepere, et ibi corpus ejus depascere, miserabiliter horrifico spectaculo, quod refertur a Surio, l. novembbris.

VII. Ad hæc: « Columbae etiam imperiosos mares, et subinde iniquos ferunt, ait Plin. I. X. c. XXXIV. quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit. Tum plenum querela guttur, siveque rostro ictus, mox in satisfactionem exsolutionem. » Ergo et christiani conjugati ferant imperiosos, adeoque iniquos etiam, conjuges potius, quam discessum a se invicem meditentur. Spendandum enim quod patientia sua alter alterum componat, et ad frugem reducat, quemadmodum egit felici successu B. Monica cum marito suo Patricio, l. IX. confess. S. August. c. IX. Ad hæc in justa suspicione se invicem officii sui adhortentur, instruant, reprehendant, et pleno gutture murmurant. Ita Sara, cum videret filium ancillæ perniciosum esse filio suo, petiit ab Abraham, ut ejiceret ancillam; cuius petitionem audiendam præcepit Abrahæ Deus, Gen. XXI. « Nihil potius muliere bona ad instruendum virum, quodcumque voluerit: neque tam leviter amicos, neque magistros, neque principes patientur, ut conjugem admonentem ac consulentem. Habet enim voluptatem aliquam admonitio uxoria, cum plurimum amet, cui consultit. Multos possum affere viros asperos et immites, per uxorem mites redditos et mansuetos, » ait D. Chrysost. ho. VI. in Joan. Sic Theodolinda Longobardorum regina, cui S. Greg. dialogum de moribus dicavit, Autharim priorem maritum, et Agilulphum posterio-

rem suo suasus ad meliorem frugem reduxit. Clodilis Clodovæum Francorum regem, lugundis Harmingildum, aliaque plurimæ. Quod si vero hoc efficere nequeant, unum hoc superest, ut habeant patientiam, et cogitent sibi exeundum esse, quod sibi intraverunt. Tales conjuges fuisse Joseph et Mariam plusquam certum est: hos ergo velut duces sanctissimos imitentur omnes conjuges christiani; et erunt quasi turtures, gratissima Deo oblatio.

CONCIO IV.

TURTURES HOMINEM INSTRUUNT CHRISTIANUM.

Turtures pre columbis, quasi gratiore, boni Christiani typi. — I. Docent pie meditari. — II. Docent gemere. — III. Docent modestiam in vestitu. — IV. Docent moderamen in victu. — V. Docent qualis nostra conversatio esse debeat.

THEMA.

Dictum est in lege Domini, par turturum. Luc. II.

Videtur Deus singulari modo præ aliis aviculis acceptas habuisse turtures et columbas; siquidem eas crebro sibi immolari præcepit, velut Gen. XV. ab Abraham, Levit. XII. a puerpera, Levit. XV. a leproso. Nimirum quia aviculae simplices et innoxiae sunt, et ut S. Bernardus ait, quod sunt oves inter quadrupedia, hoc sunt turtures et columbae inter volatilia. Aderto vero et hoc, quod cum hæc duæ columbarum species junguntur, semper turtures præponuntur columbis dictis, quasi proprie præ his magis Deo acceptæ forent. Quare mihi persuadeo Deiparam obtulisse turtures potius quam columbas: haud dubie, quia typus sunt boni Christiani, et cujuscumque vult servire Deo. Ergo turtur esse debet in cogitationibus, verbis, vestitu, victu, conversatione, qui se offerre Deo in obsequium ejus cupit; quod sane omnes debemus pro viribus præstare. Modum nunc audiamus.

I. Turtur docet nos pie meditari. Qua ratione? Turtur enim ab Hebreo *tur* dicitur, quod est cogitare vel meditari; unde a *tur* Hebraice appellatur *tur*: et Latine duplicita voce *turtur*; quia nimirum intus loqui videtur, instar eorum, qui meditabundi secum loquuntur, ait Corn. a Lap. Gen. XV. § IX. quod etiam columbis commune. Unde Ezechias ait: *Meditabor ut columba*, Isa. XXXVIII. Turtur ergo est bis meditari; quam vocem videtur etiam exprimere turtur suo cantu. Hoc autem facere Christianus quisque deberet, bis, inquam, in die meditari, mane scilicet et espere. Sic enim faciendum Christiano vult

S. Ephrem, to. III. in serm. ascet. « Singulis diebus (inquit) vesperi et mane diligenter considera, quo pacto se habeat negotiatio tua ac mercimonii ratio. Et vesperi quidem ingressus cubiculum cordis tui examina te ipsum, ac dico: Putasne hodie Deum in aliquo exacerbavi? Numquid verba otiosa protuli? Per contemptum negligientiamque peccavi? Num fratrem irritavi? Num cui detraxi? » Deinde, jubet defleri peccata deprehensa. Post addit: « Et facto jam diluculo rursus eadem tecum meditare, et dico: Quomodo putas ista nox præteriit? Numquid improbae et sordidae cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum? » Hoc absque dubio insinuatum est in v. t. Exo. et Num. XXVIII. quando Deus mandavit jugi sacrificio singulis diebus offerri sibi agnos duos in holocaustum, unum mane, alterum vesperi. Et quidem S. Bern. serm. II. et III. de purificatione recte assert per eos significatum esse Christum, qui fuit agnus matutinus, quando infans hodie in templo est oblatus; et vespertinus, quando ad vesperam vite se obtulit circa horam diei nonam in cruce. Morali tamen sensu voluit Deus colo latraria bis in die, mane et vesperi. Ac si quidem Christus se mane et vesperi obtulit Patri suo, cur non faciat hoc suo etiam modo Christianus? Quid quod Plato, lib. X. de legibus scribit, Græcos æque ac barbaros omnes, sole tam oriente quam occidente, adorare Deum? Pythagoras etiam duorum maxime temporum rationem habendam dicebat, matutini et vespertini, teste Hieron. lib. III. contra Ruffin. cap. X. Sane confunduntur ab his Christiani aliqui, qui pecorum instar cubitum eunt, et pecorum instar surgunt. Surgeant gentiles ac barbari et condemnabunt eos in iudicio.

II. Docet nos gemere potius quam jubilare et cum mundo luctari: quia gemitum pro cantu habet, qualis etiam docet bonum Christianum. Etenim Christus Dominus flevisse quidem legitur, risisse vero nunquam. Et Deipara quomodo ride potuisse unquam, quæ semper gladium pectori infixum gerebat, mortem scilicet Filii dirissimam, oculis observantem? Cum dolore in stabulum divertit, cum dolore in Ægyptum fugit, cum timore rediit, cum dolore amissum quævit, cum dolore spretum audivit, cum dolore morituro valedixit, cum dolore Joannem pro filio accepit, cum dolore morientem vidit, cum dolore sepelivit, cum dolore redivivum expectavit. Verum dicet aliquis: Quid tandem nos fleamus? Duas maxime miserias, unam exili nostri, alteram Dei passim offensi. Quis unquam audivit jubila, tibicines et fidicines, saltus et choreas in

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

carceribus? Nonne bis deplorandi essent rei capit, si in carcere riderent, saltarent, jubilarent? O miseri! diceremus, nescitis ubi sitis: post paucos dies ad torturam rapiemini, inde ad tribunal, tum ad supplicium, et ridetis? Nos in carcere sumus; unde nunc unus, nunc alter extrahitur, rapitur in lectum doloris et agonem mortis ac judicium, unus longiori, alius breviori itinere. Qua ergo ratione vanis mundi gaudiis possumus indulgere? Judæi in captivitate sua a Babylonii rogati: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*, responderunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Psalm. CXXXVI. Quomodo et nos in captivitate nostra et exilio ridemus, saltamus, jubilamus? Jure ergo feriæ imminentes stultorum appellantur; quia nonnisi stulti et phrenetici rident in periculis suis. Deinde, jure gemimus, quia videmus passim Deum graviter offendit. Quid enim? Nonne velum templi, petræ, terra, sol luxerunt, quando viderunt subsannari et crucifigi creatorem suum? At quid aliud faciunt hoc tempore homines? Suis enim jocis et seurrilitatibus Christum subsannant, suis ebrietatibus potant felle et acetum, suis blasphemis flagellant, suis larvis et personis induunt ueste alba et derident, suis impudicitis denudant et cruci affigunt. Quod si David aspiciens peccantes dixit Ps. CXVIII. *Vidi prævaricantes et tabescebam*, seu ut Hieronymus vertit *mærebam*, quomodo non mærebimus nos, qui tales intuemur Christianos? Paulus certe super hujusmodi homines: *Inimicos scilicet crucis Christi*, flebat, ad Phil. III. *nunc autem et flens dico, etc.*

III. Docet modestiam in vestitu. Habet enim pennas fere cinerei coloris, adeoque lugubres. Ac licet habeat etiam alias in aliis pulchras et versicolores pennas, eas tamen abscondit, et non nisi volatiliens depromit. Quid igitur nisi vestitum moderatum et modestum nobis assumendum docet? Cinerea debet esse uestis nostra, quia cinis sumus. Qui contra agit, sepulcrum dealbatum est, foris ornatum, intus cinere plenum. Nonne Adamo dictum: *Pulvis es et in pulverem ibis?* Quis autem unquam vidit cinerem ornari? Tela crassissima et sordidissima excipitur et in sterilinium effertur. Quis figulinum vas auro et argento includit? Vas figuli sumus. Diviti cuidam Asiano, ut scribit Cælius, l. XXX. cap. XV. « Cum pedes forent abscessi, qui frigoris nimietate computruissent per nives iter facienti; ut aliquo modo calamitatem leniret, ligneos sibi pedes confidetos curavit, quibus subligatis, interim etiam servis innixus incederet. Sed ridiculus eo præcipue fuit, quod summa cura scienter politeque confectas soleas comparabat subinde, quibus li-

gneos illos pedes præfulciret; veluti visenda plane res esset, lignum crepidis inductum. » Nihilominus ridiculum est cinerem adornare. Decor hominis naturalis in paradiso ob peccatum ei ademptus est, ubi sine vestitu et erubescens tanquam angelus incedebat. Ob prævaricationem pudefactus, pellibus uestitus est: quo modo damnati a s. inquisitione indusiolo infami, quem abitello appellant Itali, Hispani S. Benito, educuntur ad mortem. Qui talen uestem gemmis ornaret, nonne magis se ridendum exponeret? Ligneos igitur pedes et cinereos ornas compule. Intellexit hoc melius quam nostri sæculi homines, Esther regina, quæ extra necessitatem vili se habuit et obvio vestivit; at cum regem aditura, necessario se uestire debuit, dixit: *Domine, tu scis, quod abominer signum superbie et gloriæ meæ, quod est super caput meum*, Esth. XIII. Nostro ævo S. Carolus Borromæus infra cardinalitatis uestes, pro dignitate honestas, gerebat laceras, et detritas, dicens: *Laceras sibi esse proprias, purpureas autem et cœruleas integras spectare ad cardinalitiam dignitatem*, Lipel. in vita, 3. nov. Idem cum famis tempore omnia sua in pauperes erogasset, a rectore collegii Helvetici interpellatus pro uestitu alumnorum suorum, cum nil suppeditare se jam posse diceret, nec tamep rectori hoc persuaderet, tandem monstravit ei caligis suas laceras et detritas, dicens: *Se velle eas cum caligis ipsius commutare, si placaret.* Id a viro fide dignissimo, qui eum bene noverat accepi. Igitur Esther et Borromæus nonnisi ex necessitate, exigenteque honestate, uestatum admirerunt; quod alii conceditur, modo, instar turturis, speciosas illas uestinas non ostentare, sed regere potius contentur.

IV. Docet moderamen in victu. Nam morticino non vescitur, sed pauculis granis, quæ in locis tantum mundis querit. Nec bibit, ut Bapt. Mantuanus scribit, ex rivulo, nisi prius alis turbato. Denique, velut pro signo temperantia, circulum nigrum in collo gerit. Ergo etiam Christianus abstineat a morticinis, quæ scilicet mortem animalia afferant, cibis vetricis, immodicis; abstineat ab immundis locis commissationum et pergræcationum, quia perit ibi munditia. Deinde, seu bibens seu comedens, alis bonæ cogitationis turbet cibum et potum; quod videlicet non velit bibere vel edere ad voluptatem, sed ad necessitatem et naturam conservandam. Illud enim brutum, hoc humanum est. Quid mirum te hoc facere, quod fecit rex potentissimus David? *Cinerem tamquam panem manducabam*, ait Psalm. CI. et *potum meum cum fetu miscetam*, quasi diceret: Panem meum cum cinere aspersi recordationis mortis, et vi-